

4
3
7
5
6
7.
8
9



1665.

1. Boederus, Joh. Henr.: De formula pacis Antiocho
& Romanis datae.
2. Erhardt, Henricus Wilhelmus: De executoribus testamenti
forum.
3. Golius, Johannes Carolus: De juribus honestatis
4. Gsell, Jacobus Bernhardus: De virginitate carum
jure.
5. Hausmann, Georgius Christophorus: Feudarcha resti-
tutus seu ad l. un. Cod. de Feudarchis
6. Holthausius, Johannes: De puro et mixto imperio
7. Fencke, Eilardus: De venditione per aversionem
ejusque opposito.
8. Kövenern, Johannes: Theses en jure naturali,
gentium, civili, canonico, feudali, Saxonico
et Camerali desumptae.
9. Lanchisch, Ehrenfried, a: Disputatio inaug. ad l.
20 l. 9. nuptis. 2 Graupl.

1665

10. Mures, Hursticus: De eo, quod inter socios
justum est.
11. Rebhautus, Thomas: De origine juris.
12. Rebhautus, Johannes: De jure sepulchrorum.
13. Sackeus, Johann Melchior: De pupillo infante
majore.
14. Scherzer, Christophorus: De indulgentia
15. Wesner, Philippus Albertus: Analysis l. cum putarem
36 D. famul. excusandae.
16. Wolff, Johann Georg: Differentiae juris civilis et
fendalis

1666

1. Beckherr, Fredericus: De nullitate sententiae
2. Beckherr, Fredericus: De sectis seu diversis
rum jurisconsultorum familiaris

1666.

3. Fabricius, Philippus Mercurius: De anagyriacae
exceptione s. non numeratae pecuniae

4. Felzer, Magnus: De jure comensorum.

5. Glorin, P. B.: De jure venandi principum imperii

6. Heudorff, Georg Friedrich, vrb.: De jure expectati-
vae . . . 2 Bände.

7. Keck, Justus: De exceptione competentiae

8. Prangenhoff, Johannes Fridericus: De citatione judiciali

9. Rehharius, Johannes: De jure reversionis aduersus
injurias verbales.

10. Rehharius, Johannes: De personis, quae ex sen-
sum praestare nequeunt.

11. Reberg, Johann Heinrich: De circumscriptione negotio-
rum.

12. Selgmann, Rudolphus: De bancaruptis tribus.

1666.

13^a Paul, Magnus: De scientia ejusque affectu
juris 2 tract. 1666 et 1667.

14. Hoekker, Gerardus van: Delicta ex jure usucap
prionum


15. Hoesserus, Gualterus: De in integrum restitutionibus

16. Hoesserus, Gualterus: De jure favorabili

17. Witzgenstein, Wicarius Julichensis: De jure in re speciali,
quod dominium dicitur

[Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]





IN VLA

PACIS

Abbas Romanus

Academia

PRO

STOBILIS

1771



J. 36. num. 9. 598.

21
SOLE JUSTITIÆ PRAESIDE
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DE

EXCEPTIONE
COMPETENTIÆ

*1666, 7.
25*

JUSSU ATQUE AUTHORITY
MAGNIFICI, NOBILISSIMI AT-
QUE AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS IN IL-
LUSTRI ET CELEBERRIMA AR-
GENTORATENSIVM UNI-
VERSITATE

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure Doctorum Honores
& Privilegia legitime consequendi, Publicæ & so-
lenni disquisitioni submittit.

JUSTUS KECK, Argentinensis.

Die 25. Aug. H. Lque. S.



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS PASTORII,

ANNO M. DC. LXVI.



LIBERÆ S. ROM. IMP.
REIPUBL.

ARGENTORATENSIS
CONSILIARIIS, SYNDICO, ADVOCATIS,
VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS &
CONSULTISSIMIS,

DN. MARCO OTTONI,
DN. JOH. ADAMO SCHRAGIO,
DN. JOH. JACOBO FRIDIO,
DN. JOH. JOACHIMO FRANTZIO,
DN. JOH. ULRICO FRIDIO,
Jctis Amplissimis, & de Republica pa-
tria optime meritis,

DNN. Evergetis, Patronis, Promotoribus at-
que fautoribus suis omni observantia,
submissionis & honoris cultu perpetuo
prosequendis

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM


IN

*Observantia debita resseram, Gratitude merito
notam, Sique ulteriorem commen-
dationem,*

*ea qua par est, reverentia
offert & dedicat*

AUTHOR.

22) I. (25)



JOVA JUVVA!

Disputationis de Exceptione Competentiæ

THES. I.



Uanquam executio sententiæ in bona debitoris ita fieri solet, ut creditori satisfiat, etiamsi nihil reo, unde vivere possit, relinquatur, *vide l. i. C. qui bon. ced. poss. cum executio sententiæ;* Sententia verò libello & actioni propositæ quæ solidum regulariter persequitur; conformis esse debeat, *l. 18. ff. Comm. divid. l. ult. C. de fidei commiss. libert.* singulari tamen privilegio jura certas bearunt personas, quo cautum, ne in solidum creditoribus teneantur, nevé planè denudentur, vel necessaria iis alimenta auferantur, *l. 16, arg. l. 21. ff. de Rejud.* De quo privilegio ac innatâ exceptione potissimum in præsentiarum loco disputationis inauguralis, Deo juvante, aliquid proposituri, consuetam viam inibimus, arduamque hanc materiam secundum quatuor causarum genera, quantum per vires licebit, tractabimus, modo paucis Synonymiæ, Homonymiæ, ac Definitionis nominalis & realis mentionem fecerimus.

A

Th. II.

Thes. II.

Exceptio hæc, licet in jure Civili Justiniano, ita in terminis non reperiatur; à Doctoribus tamen varias sortita fuit appellationes. Appellatur enim Beneficium exigendi; Beneficium competentia; Privilegiū deductionis; Exceptio ne quis conveniatur, nisi in quantum facere potest; ac Exceptio Competentia; vide Hillig. in Donell. enucl. lib. 27. c. 9. lit. A. Zang. de Except. part. 2. c. 14. Schneid W. ad §. 38. & seqq. Inst. de Act. Bacchov. ad dd. §. D. D. Bicc. pia memoriae in Aur. sect. 5. th. II. Magnif. D. D. Rebhan. Præceptoris ac Patroni nostri semper obsequiosa mente venerandi, Hodeget. Jur. pag. 737. & 793, ubi vocem, *competentia*, in alio sensu, quam cum de foro competente, cui exceptio incompetentia seu fori declinatoria opponitur, sumi necesse est. Quare verò in hoc significato competentia Exceptio veniat, inter Doctores non æquè constat. Mantz. in tract. de patroc. debit. calam. bell. de paup. dec. 3. q. 1. n. 2. inde originem ejus ducit, quod debitores beneficio hoc gaudentes ita excuti debeant, ut competenti & congruo conditionis suæ modo postmodum nihilominus vivere valeant. Quæ conjectura etiam non displicet Magnif. D. D. Lauterbach. Antecess. in jurid. Facultat. Tubing: celeberr. in disp. sua Inaugur: de Benefic. compet. th. 3. Ubi tamen aliam insuper addidit, quæ ibidem prolixius videri potest. Nos ne divinando erroris periculum subeamus, jam missâ Nominis ad ipsius Rei definitionem procedamus.

Thes. III.

EXCEPTIO COMPETENTIAE EST JUS EX SINGULARI PRIVILEGIO CONCESSVM, QVO ACTIO SOLIDVM PERSEQUENS AD TEMPVS ELIDITVR, ITA VT EO MVNITVS NON NISI IN QVANTVM FACERE POTEST, SIT CONDEMNANDVS.

Jvs

Jus est, sicut omnis Exceptio actioni ut juri opponenda. SINGULARI PRIVILEGIO CONCESSUM dicitur, cum jure regulari omnes actiones, excepta quæ de peculio proponitur in §. 38. *Inst. de Act.* id quod primum in obligationem deductum, hoc est solidum, persequuntur. Munit verò eos, quibus competit, ut non nisi in quantum facere possunt, condemnentur; ita tamen, ut simul ac debitores ad pinguiorem fortunam pervenerint & facere posse inceperint, exceptione hac priventur, *l. un. §. 7. C. de Rei uxor. act.* Quare pro parte quidem, non tamen perpetuò, sed ad tempus, actorem removet.

Thes. IV.

Unde Confectarium est, Exceptionem hanc non peremptoriam; sed dilatoriam tantum esse; & tamen non processum, sed actionem ipsam concernere; Cum enim actionem minimè perimat, quæ tamen natura est exceptionum peremptoriarum & perpetuarum, *juxta. §. 9. Inst. de except.* sed tam diu creditori tantum noceat, & solutionem differat, quam diu debitor facere non potest, quo fortunam rursus benigniorem sentiente, ad reliquum actio superest, illam non peremptoriam, sed dilatoriam esse, necessariò sequitur: nisi quis eam exceptionem peremptoriam esse, qua quis propter paupertatem actorem excludit *ex l. 6. ff. de dol. mal.* absurdè satis arbitrari velit. *vid. Treut. vol. 2. disp. 26. th. 4. lit. H. ibique Bacchov. Zang. de Except. part. 2. c. 14. n. 1. & seqq. Mantz. d. tract. dec. 3. q. 1. n. 130. & seqq. SchneidW. ad §. 38. I. de Act. n. II.*

Thes. V.

Quoniam verò hæc exceptio præter jus ordinarium

A 2

ex

ex Singulari privilegio quibusdam personis concessa est, spontè sequitur, quod eius CAUSA EFFICIENS, verè dicatur, qui privilegium concedendi jus habet, eiusque libera voluntas; cum causa causæ causa quoque causati sit. Rectè tamen eam remotiorem appellaveris, postquam privilegium ipsum nomen propinquiº dubio procul mereatur, siquidem illud semel concessum sufficientes ad causandam hanc exceptionem vires consecutum est, ut elevatione concedentis perpetua opus nõ habeat. IMPULSIVA varia est, puta sanguinis conjunctio cum Reverentia interdum colligata; Matrimonii honor & memoria; Conjunctio & Fraternalitas voluntaria; Beneficia vel actori vel reo exhibita & commiseratio. Colleg Jurid. Arg. lib. 42. Tit. 1. th. 34. De quibus sigillatim jam agendum erit.

Thes. VI.

Sanguinis Conjunctio parentibus, liberis & fratribus exceptionem hanc suppeditat, qua Parentes liberiq; eorum invicem conventi utuntur, § 40. Inst. de Adt. l. 16. sum seq. & l. 30. ff. de Re jud. l. 18. pr. sol. mat. l. 7. §. 1. ff. de obseq. par. & patron. prest. Aded ut Mater etiam tutelæ judicio pulsata, licet omni beneficio renunciaverit, juxta Auth. matri & avia C. quand. mul. tut. off. Nov. 94. c. 2. nihilominus tamen privilegium, ne conveniatur ultra quam facere potest, retineat, vide Hillig. ad Donell. d. lib. & cap. lit. D. Colleg. Jur. Arg. d. Tit. th. 34. & seq. & ibi in addit. Zang. d. tract. & cap. quoniam privilegium illud in parentibus præter sanguinis conjunctionem in reverentia iis debita fundatur, cui renunciari ab istis nequit, vide Mantz. d. tract. dec. 1. q. 7. n. 69. & seqq. & dec. 3. q. 1. n. 6. & 15. Cum quo etiam consentit D. D. Lauterbach, in su-

pra

9.
*pra laudata disputatione sua th. 29. ubi quoad liberos, ratio-
nibus non levis momenti, dissentit. Sub parentibus au-
tem in hac materia legitimos tantum, seu adoptivos, non
comprehendimus, arg. l. 8. ff. de in jus voc. ut qui propriè
parentes non sunt, cum non procreaverint liberos. Na-
turales verò minimè excludimus arg. l. 6. ff. d. t. Sicut vi-
tricum & novercam removemus, vide modo alleg. disp.
in angur. D. D. Lauterbach. th. 15. & duabus seqq.*

Thef. VII.

Ex sola sanguinis conjunctione Exceptio hæc ad
fratres derivatur, l. 17. ibi liberique eorum ff. de Re jud. arg.
l. 63. pr. ff. pro soc. Nam si ob hoc in d. l. 63. pr. Sociis hæc
Exceptio datur, quia fratrum instar sunt, multò magis ve-
ris fratribus illa proderit; nisi minus posse naturam
quam accidens, veritatem quàm fictionem existimare
velimus: Facit etiam quod fratres alimenta sibi mutuò
debeant, l. 4. ff. ubi pupill. educ. deb. At quicumque ab a-
liquo alendus est, procul dubio, ut circuitum evitemus,
huius exceptionis beneficio gaudebit; imò & si lex de-
ficeret ex æquitate, hæc exceptio fratribus concedenda
esset, arg. l. 20. in ff. de Re Jud. C. J. A. d. t. th. 34. Hillig. ad
Donell. d. l. & c. lit. E. Mantz. d. tract. dec. 3. q. 1. n. 20. &
seq. Dissentit autem Zas. ad l. 16. ff. de Re jud. Anton. He-
ring. de fidejuss. c. 27. p. 4. num. 68. cum seqq. D. D. Lauter-
bach. in alleg. disp. th. 31.

Thef. VIII.

Matrimonii honor & memoria in marito uxore
æ utriusque patre privilegio huic & inde natae exceptio-
ni ansam præbuit: Maritus quidem sive nomine dotis
uxori debitæ, sive ex alio quocunque contractu uxori
condemnetur, exceptionem hanc opponet, § 39. Inst. de
act.

Act. l. 17, 20, 21, 24. §. 1. ff. de Re jud. l. 12. & 14. ff. solut. mat. l. un. §. 7. C. de Re iux. act. sive conveniatur stante matrimonio etiam de antea gestis, sive soluto eo de gestis in matrimonio manente personæ conditione. Nam si soluto conjugio, cum ea quæ uxor olim erat, quid gesserit, eo beneficio indignus habetur, *l. 35. pr. ff. de neg. gest. arg. l. 3. ff. de rer. amot. act.* nisi actus ille non tam ad rem novam inchoandam, quam ad veterem contractum confirmandum, tendat, *l. 3. pr. ff. de constit. pec. l. 33. pr. ff. de donat: vid. Schneidev. ad §. 39. Inst. de act. Perez. ad Cod. de execut. Rei jud. n. 28. Cujac. lib. 24. obs. 38. Hillig. ad Donell. supra alleg. loco lit. BB.*

Th. IX.

Neque, si de dote apud eum extante maritus conveniatur, distinguendum erit, personali, an reali actione inquietetur: Cum & posteriori casu durante utique mariti Conditione & respectu exceptione hac à solido præstando liberetur, *l. 33. pr. ff. sol. mat.* quæ consideratio, quamdiu dos nondum reddita, locum obtinet; Si verò reddita ea uxori fuisset, & amissam eius possessionem nactus iterum maritus reali actione à sua quondam uxore pulsaretur, exceptione sæpius allegata, plenam intentatæ actionis vim exemplo donatoris nequaquam evitabit, *l. 41. §. 1. ff. de Re jud.* quoniam tunc contra maritum, non ut talem, sed ut extraneum possessorem ageretur: cum semel actionem adversus eum veluti maritum exercuerit uxor, & dotem nata sit, ut proinde cessante causa beneficii, ipsum quoque beneficium cessare debeat, *arg. l. 10. §. 9. ff. de injus voc. vid. Zang. d. tract. de Except. c. 14. n. 14. & seqq. C. J. A. sup. d. l. Mantz. d. l. n. 56.* Quæ tamen omnia in vero; non putativo marito militabunt:

hic

7.
hic enim hac exceptione privatus est, fac. §. 12, *Inst. De Nupt. & c. 1. X. de donat. int. vir & ux.* Hillig. ad Donell. *d. l. lit. F. Fachin, lib. 10. Controvers. c. 30.*

Thef. X.

Eadem ratione, & ut constet æqualitas, ob arctissimam inter conjuges societatem, indubiè observanda, tam ob dotis promissionem *l. 17. §. 1. ff. sol. mat.* quàm ob aliam causam *l. 20. inf. ff. de Re jud.* marito condemnata uxor exceptione competentiae utitur & se defendit, Perez. *in inst. 4. tit. 6. divis. act. 6. q. recense igitur.* Quod enim in *l. 14. ff. sol. mat. & l. un. §. 7. C. de rei uxor. act.* privilegium hoc, ob reverentiam ipsi debitam, marito tribuitur, id quidem ex propria & soli ipsi competenti ratione fit; non tamen aliam utrique conjugi communem, quæ ab arctissima ista conjugum conjunctione dependet, excludit. *d. l. 17. §. 1. l. 1. ff. de rer. amot. act. l. 4. C. de crim. expil. hered. l. 52. ff. de Re jud.* Et licet Cujacius *in supra allegata observatione*, totus in eo sit, ut verba finalia in *d. l. 20.* à Triboniano adjecta esse evincat, cum à Basilicis etiam absint, & ratio dictæ *l. 17. §. 1.* non nisi ad dotis promissionem, nec etiam ad alios contractus pertineat; attamen inconveniens est, ex causa omnis vitæ ad dotis tantum causam inferre velle: quum arctissima illa societas, ad inducendam hanc æqualitatem & sufficiens & generalis, satisque valida appareat: imo inhumanum planè esset, ob contractum constante matrimonio initum, consortem antea omnium bonorum & thalami acerba exactioe ad mendicitatem redigere. adde *C. I. A. lib. 42. t. 1. th. 34.* Donell. *Supr. d. l. lit. G. Mantz. d. l. n. 61.* D. D. Lauterbach. *dicta sua disputatione inaugural. th. 21.*

Thef.

Thes. XI.

Pater quoque mariti, cum quo nurus, id est, uxor filii, de dote soluto matrimonio restituenda agit, in id saltem quod facere potest condemnatur *l. 15, §. 2 ff. sol. matr.* idque non immeritò, cum & hic loco parentis sit *l. 16. d. t.* quod non tantum in dote, sed & in aliis constante matrimonio initium sumentibus contractibus procedit *l. 21. ff. de Rejud. junct. l. 20. preced. d. t.* pater verò uxoris, durante conjugio ob dotem promissam conventus, dubio procul solidi præstationem exceptione hac opposita effugiet *l. 17. ff. sol. matr. l. 21. & seqq. ff. de Rejud.* imò ne dirempto quidem eo aliter beneficium hoc eidem denegabitur, quam si ex personâ & circumstantiis iudex cordatus istum tali beneficio orbandum esse, arbitretur, *d. l. 22. & l. pen. ff. de Jur. dot.* qua ipsa generalitas *d. l. 21* temperatur, vide Zang. *d. tract. de except. c. 14, p. 2. n. 21. & seqq. C. I. A. d. t. & th. Gail. 2. Obs. 78. n. 6. Busius in subtilit. jur. lib. 3. c. 9.* Gaudent autem hoc privilegio & beneficio etiam horum liberi ejusdem matrimonii. *l. 18. ff. sol. matr.* in heredibus autem extraneis, tam mariti quam uxoris, secus est: quibus hoc beneficium non est præstandum, cum sit personale & cum persona extinguatur. *l. 12. & l. seq. ff. eod. Locam. quest. Inst. 378.*

Thes. XII.

Sequuntur nunc fratres voluntarii, seu quibus voluntas & Contractus confert id, quod veris fratribus dat successio & bonorum collatio, dum spontè sua communicantes se sibi invicem in fratrum locum adsciverunt: sicuti autem focii vel omnium bonorum sunt, vel particulares, ita utrique beneficio hætenus memorato gaudent, *l. 63. pr. ff. pro soc. l. 16. ff. de Re iud.* quod etiam distra-

cta

Et a societate verum est ; dummodo ex causa societatis
 conveniantur, *arg. l. 65. pr. ff. d. t. pro soc.* & quamvis dicta
l. 16. ff. de re iud. non nisi socii omnium bonorum men-
 tionem faciat ; illa tamen ex *d. l. 63.* supplenda erit, pro-
 pter rationem ibi generalem, & quoniam fraternitas æ-
 què in socio unius rei, quàm omnium bonorum inveni-
 niatur. Hoc quidem inficias ire non possumus, fuisse de
 socio particulari olim dubitatum, ut ex *d. l. 63. pr. verbis
 etiamsi &c.* colligi potest, unde hæc sententia non nisi de
 socio omnium bonorum in *d. l. 16.* indubitanter prolata
 fuit, quam postmodum Jcti ob eandem utrobique rati-
 onem ad socium particularem extenderunt, vide Lo-
 cam : *in not. ad §. 40. Inst. de act. Bronch. in ἐναντιοφαν.
 cent, 2. Assert. 51.*

Thef. XIII.

Ob bene merita in actorem collata, beneficium
 hoc competit Patrono, Patronæ, eorumque liberis. *l. 17.
 ff. de Re jud.* etiam cum jus Patronatus spontè remiserint :
 si quidem adhuc illis reverentia debetur, *l. 3. vers. reve-
 rentia C. de bon. libert.* Item Donatori, si ex causa dona-
 tionis condemnetur, *l. 19. §. 1. l. 30. ff. de Re jud.* Sive
 principali, sive accessoria *l. 33. pr. ff. de donat. l. 3. pr. ff. de
 constit. pecun.* Ob eadem verò Reipublicæ præstita Mi-
 lites armatæ militiæ beneficium hoc acceperunt *l. 6. ff.
 de Re jud.* sive gregarii sint, sive egregii, in expeditione,
 an extra illam constituti : nec milites limitanei, & statio-
 narii exclusi erunt, cum & hi milites veri sint, militum-
 que privilegiis gaudeant. *l. 15. C. de vectig. l. 1. §. 12 ff. de
 off. præfect. urb. l. 2. §. 8. & 13. C. de off. præfect. præf. Afric. D. D.
 Lauterbach. dict. disp. th. 23.* Quod non absque ratione ad
 togatæ & cœlesti militiæ addictas personas Doctores

B

puta

puta, Advocatos & Clericos à Dd. modernis porrigitur. Quoniã hi non minus provident humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesq; tueantur. *l. 14. C. de Advocat. divers. jud.* quorum scientia totus illuminatur mundus & ad obedientiam Deo & Magistratibus vita subjeutorum informatur, *Auth. Habita C. ne filius pro patr.* jung. Hillig. ad Donell. *supr. d. l. & lit. N.* quin imò teste Magnif. D. Carpzov. in *Asyl. debit. pos. 76. in foro Saxonico* (ubi hæc exceptio adhuc frequentatur, cum nullibi mutata vel abrogata reperitur; secus ac Berlich. *p. 1. Conclus. 80. n. 55.* referente C. I. A. *lib. 42. t. 1. th. 33.* existimat) ad Comites, Nobiles, aliasque personas Illustres extenditur, vide Mantz. *d. tract. de patr. debit. d. 3. q. 1. n. 77. & seqq.* à quo probabilibus valdè rationibus dissentit. D. D. Lauterbach. *in sepius jam laudata disputatione th. 32. & seqq.*

Thes. XIV.

Excipiunt hos, qui justa commiseratione beneficium hoc exigendi seu exceptionem competentia sunt adepti, ut sunt; qui bonis cessit: filius familias, qui emancipatus vel exheredatus fuit, aut qui paterna hæreditate abstinuit: aut hodie, quicumque debitores qui calamitate bellica vel alio infortunio sine sua culpa inopes sunt facti. Nam ut ad primum redeamus, licet cedenti, dum cedit, nihil relinquatur, & cessio ad peram & faccum fiat nec quicquam præter camisiam & vestem panicularem, qua corpus tegat (ut Dd teste Hillig. ad Donell. *d. l. loqui amant*) retineat; tamen cessione jam facta, secus est; tunc enim cum afflicto non sit addenda afflictio juxta *§. fin. Inst. de Act. l. 14. ff. de off. presid.* si de novo, qui cessit aliquid quod idoneum emolumentum habet, acquisiverit, licet ex certa causa actio contra ipsum

ipsum adhuc dari debeat, nihilominus tamen salvum hoc beneficium ipsi erit per *d. §. f. Inst. de Act. l. 4. pr. ff. de cess. bon.* dummodo ab iisdem creditoribus, qui tempore cessionis factæ creditores erant, conveniatur; Nam contra novos creditores, qui post cessionem crediderunt isto privilegio uti non potest, nisi denuò bonis cedat, vide Schneid W. *ad §. f. Inst. de Act. n. 2.* Pro secundo pugnat, si ex contractibus cum in aliena potestate constitutus esset, initis, conveniatur, quod, quia nullum ex iis senserit emolumentum, planè iniquum esset, si in solidum condemnaretur, *l. 2. ff. quod cum eo qui alien. potest.* Tertii ordinis sunt hodie omnes, qui, ut supra jam indicatum, calamitate belli aliisque calamitatibus & casibus inopinatis ad incitas redacti sunt. Cum enim Imperatori Justiniano in *§. f. Inst. de Act.* inhumanum visum fuerat, spoliatum per cessionem bonorum fortunis suis in solidum condemnari, quid ni parilis ratio humanitatis debitores calamitate & injuria temporum depauperatos adjuvaret? vide D. Carpzov. *in Supr. alleg. Asyl. debiz. c. 4. posit. 76. n. 318. & seqq. maxime n. 341. & seqq.* Item Mantz. *d. tract. d. 3. q. 2.* Dissentit tamen D. D. Lauterbach. *in sepius citata Disputatione th. 28. & 35.* idque iterum non sine prægante ratione, quæ ibi videri potest.

Thes. XV.

Intuitu harum personarum privilegium hoc & eandem defensoribus conceditur *l. 14. pr. ff. sol matr. l. 63 §. 1. ff. pro soc. l. 23. ff. de re jud. l. 51. §. 1. ff. de procurat.* Cum non sibi tali exceptione utantur; sed eis quos defendunt, qui sub eorum persona defenduntur, & sub horum nomine ipsi oppugnantur & damnantur, Zang. *d. tract.*

Et cap. n. 20. unde nec personalitas huius privilegii iis obstabit, licet ob eandem nec ad hæredes sive sui sint sive extranei derivetur, *l. 12, & l. seq. ff. solut. matr. l. 24. §. 1. cum l. seq. ff. de re jud. arg. l. 68. ff. de R. J.* ut nihil faciat regula; quod hæres defunctum repræsentet, & cum eadem una eademque persona censeatur, quia ea procedit in iuribus & actionibus, quæ cum persona non extinguuntur, vide Perez. *ad tit. de execut rei jud. n. 31.* Hillig. *ad Donell. d. l. lit. X.*

Thes. XVI.

Excipiuntur tamen filii, patris hæredes, *l. 18. pr. ff. solut. matr.* ex eodem matrimonio procreati sive sui sint, sive emancipati: idque non jure hæreditario, sed filiationis, & quod filii & parentes una eademque persona reputentur *l. f. ff. de impub. & al. substit.* Ex alia verò uxore existentes idem privilegium contra novercam frustra prætendunt, Perez. *d. t.* Loquitur autem lex de filiis; ut illud privilegium liberis tantum primi gradus competere videamus, quos filiorum vocabulum propriè complectitur, minimè verò nepotes, Perez *d. l. Zang. d. tract. & c. n. 26. & seq. Bacchov. ad §. 39. Inst. de act. n. 2*

Thes. XVII.

Eadem verò personalitas obest etiam fideiussoribus, sive rei sint, sive actionis *l. 24. pr. ff. de re jud. h. e.* sive rem certam obligatione contentam, sive indefinitè promiserint, quicquid debitor deberet. Nec obstat, quod defensoribus hoc privilegium non denegaverimus: diversus siquidem ab istis fideiussor est. Defensor enim qui se, verbi gratia, maritum defensurum promittit, eadem actione convenitur, qua dominus & quasi ejus loco surrogatus eodem modo venit condemnandus: modo
con-

condemnatio vivo adhuc domino contingat *l. 23. ff. de re jud. l. 14. pr. ff. sol. matr. l. 51. §. 1. ff. de procurat.* at fidejussor proprio nomine convenitur, & quia solidum solvere promisit, in id condemnatur: Nec tamen ideò plus debet quam principalis contra *l. 8. §. 7. ff. de fidejuss.* nam & is solidum debet; quod autem totum ab eo exigi & extorqueri non possit, id ex singulari privilegio provenit. vide Perez. *in Cod. d. t. n. f. Bacchov. ad §. f. Inst. de Act.*

Thes. XVIII.

DE CAUSA EFFICIENTE plus satis. MATERIA CIRCA QUAM, nunc explicanda venit, quæ in genere causa civilis. Neque enim ob maleficium dolumve conventis exceptio hæc competentiae proderit *l. 20. 22. §. ult. l. 52. ff. de re jud. l. 21. §. ult. ff. de re amot. act. l. 18. §. 1. ff. solut. matr.* vide SchneidW. *ad §. 39. Inst. de Act.* Perez. *ad C. tit. de execut. rei jud. n. 28.* nisi pater sit, aut patronus, patrona, liberiq; & parentes eorum *l. 5. 7. §. 1. ff. de obseq. parent. adversus quos nec actio, quæ doli mentionem habet, datur. d. l. 5. §. 1.* vide Hillig. *ad Donell. d. l. lit. AA. Colleg. J. A. tit. de re jud. n. 35. th. 19.*

Thes. XIX.

FORMA hujus exceptionis INTERNA, consistit in eo, ut ea tutus, ultra quod facere potest, conveneri nequeat; Per illud enim ab omni alia exceptione distinguitur. EXTERNA, partim ex modo, partim ex tempore opponendi, partim etiam ex usu deprehendi potest. Modus is est, ut non nisi præstita cautione (nuda tamen saltem promissione *l. 63. §. 4. ff. per soc. arg. l. 3. C. de V. S.* vide C. J. A. *tit. de re jud. n. 35.*) de integra solutione, ubi quis ad pinguiores fortunam pervenerit, facienda opponi queat *d. l. 63. §. 4. l. un. §. 7. C. de re ux. act.* Tempus

autem ejus interponendæ etiam post litem contestatam & sententiam quoque latam : imò & in ipso executionis actu adhuc commodum est. Licet enim hæc exceptio, *ut supra in th. 4. demonstravimus*, dilatoria sit, *vide supra laudatum Hodog. jur. Magnif. D.D. Rehb. Jcti & in hac universitate juridicæ facultatis Professoris Senioris celeberrimi &c. pag. 793.* attamen quominus post latam sententiam opponi possit, nihil impedire videtur : præsertim cum de essentia dilatoriæ exceptionis non sit, ut ante litem contestatam opponatur : nec etiam hac exceptione reus sententiam impugnet : quin potius, eam tantum modificando confiteatur, se ea justè condemnatum esse ; facultate tamen, legibus sibi tributa, ne ultra quam potest, præstet, uti. vid. Zang. *d. tract. de except. c. 14. n. 1. D.D. Lauterbach. in sæpius laudata disp. th. 48.*

Thes. XX.

Usus in eo consistit, ut sub certis conditionibus beneficium hoc tribuatur : Scilicet Primò, si non is qui convenitur mentitus sit de sua conditione, propter quam beneficium hoc consequitur, *l. 4. §. 1. quod cum eo, qui in al. pot. l. 10. ff. de re ind.* Secundò, si non, qui convenitur, dolo fecit, quo minus facere posset *l. 51. pr. ff. de re ind.* & Tertio, (quod tamen propriè sociorum est) si quis se socium confessus est ; Huic enim socium se esse postea neganti succurri non placet *l. 22. §. 1. ff. de re ind. l. 67. §. ult. ff. pro soc.* Hoc ultimum autem ideo ad alias personas transferri nequit, cum v. g. maritus negatione sua, ne sit maritus, efficere non valeat, quod tamen penes socium est, qui renuntiando, ne sit socius, facere, & alios à se liberare potest *l. 65. §. 3. ff. pro soc.*

Thes.

Thes. XXI.

Uſus autem ejus modo latior, modo reſtrictior eſt; ſocius enim non niſi ex cauſa ſocietatis conventus *l. 16. ff. de re ind. §. 40. Inſt. de act.* Donator vero ex donationis cauſa à donatario lite pulſatus *l. 12. ff. de donat.* exceptionem hanc objicit; Si enim ab alio conveniatur, quamvis ei nomine donatarii, delegatione facta promiſerit, in ſolidum condemnabitur; ſi ſcilicet certa ſumma promiſſa ſit *l. 21. pr. ff. de re ind.* quod ſi in genere daturū ſe ſpondeat, quod alii ex cauſa donationis debet, in id ſolūm, quod facere poteſt, convenitur: quo reſpicere videtur *l. 32. ff. ſolut. mat.* vide *C. J. A. t. de re jud. th. 35* Præterea Filius emancipatus aut exheredatus, aut qui paterna hereditate abſtinuit, non aliter hac exceptione utitur, quam ſi ex contractibus voluntate, aut jūſſu patris, in cujus poteſtate conſtitutus erat, celebratis conveniatur, *l. 2. ff. quod cum eo & c. l. 2. C. eod.* Reliquæ verò perſonæ, quarum ſupra fecimus mentionem, generaliter hac exceptione utuntur, fruuntur ex quocunq; contractu condemnentur, vide *Zang. d. tract. de Except. c. 14. n. 28. & ſeq.*

Thes. XXII.

FINIS hujus Exceptionis eſt, ne quis per eam egeat; id quod conſequitur, ſi in id tantum quod facere poteſt condemnatur. Quantum verò aliquis facere poſſit, tempore rei judicatæ ſpectatur, non rei judicatæ exequendæ *l. 15. pr. ff. ſol. matr. l. 63. §. 1. ff. proſoc.* Id autem facere quis cenſetur poſſe, quod honeſtè & ſalvâ dignitate poteſt *l. 125. ff. de V. S. arg. l. 15. ff. de condit. inſt.* Unde deducendum eſt ex propriis privilegiarii bonis, quantum ei, qui aliter operis ſuis ſe alere non poteſt, ſufficiat. *l. 30. ff. de re*

de re jud. In qua alimentorum deductione & ratio dignitatis, seu conditionis personæ, habetur : Cum lautioribus cibis nobilem quam rusticum vesci conveniat, cui pro victu quotidiano panem, caseum, allium & cœpas constitui, satis est, *arg. l. 3. ff. de administ. tut. l. 1. §. 17. ff. de vent. in poss.* vide sæpius jam alleg. Hillig. ad Donell. *d. cap. lit. FF.* Carpzoj, in *d. Asyl. debit.* c. 4. pos. 75. n. 331.

Thef. XXIII.

Idque commune est omnibus antea enumeratis personis ut *ex l. 173. pr. ff. de R. J.* colligitur, cujus generalitas ad certas quasdam in *l. 19. ff. de re jud.* adductas personas à quibusdam, inter quos est Hottom. *6. Obs. 17.* malè restringitur : cum tam diu regulæ insistamus, donec exceptio satis probetur. Accedit vis & usus verbi *POSSE* : Siquidem jure Civili is posse dicitur, non qui nulla habita ratione honestatis & dignitatis suæ, sed solum qui honestè & salva ea quid potest, *d. l. 125. ff. de V. S. & l. 15. ff. de condit. inst.* Nam qui ita potest, ut nihil reliqui postea ad victum habeat, huic necesse est aut mori, aut turpiter mendicare, aut malis artibus victum quærere, quorum nullum dignitate illæsa fieri potest, & proinde nec possibile esse videtur *arg. d. l. 15.* Probat id insuper exemplum ejus, qui bonis cessit, cui quotidiana alimenta relinquuntur *l. 6. ff. de cess. bon.* quod igitur extraneo conceditur magis fratri, socio & conjugi &c. dabitur; Nec aliàs intelligi posset, in quo prærogativa harum personarum, quæ privilegio competentia gaudent, consisteret, si nec alimenta deduci deberent, cum à nemine amplius, quam solidum quod possidet extorqueri queat.

Thef. XXIV.

An verò æs alienum simul deducendum sit, quæritur?

ur? Ita quidem videri posset, propter §. 39. *Inst. de act.* ubi Imperator facultatum meminit; Facultates autem bona significant *l. 16. pr. ff. ad Sc̄tum Treb. junct. l. 14. §. ult. eod.* hæc verò non nisi deducto ære alieno intelligantur, *l. 39. §. 1. ff. de V. S.* Verùm jura disertè hic inter donatorem & alios distinguunt, quod illi quidem in æstimatione ejus, quod facere potest, æs alienum deducatur per *l. 19. §. 1. l. 49. ff. de re jud. l. 12. ff. de donat. l. 54. ff. sol. matr.* Cum pinguius donatori succurrendum sit, ne ille ex sua liberalitate inops reddatur *d. l. 49. & seq. ff. de re jud.* quoniam incivile esset illiberaliter & averè agere cum eo qui verè liberalis fuit, nec malo ei benignitas esse debet, si donatario agenti prius satisfacere teneretur, quam veris creditoribus, quibus ille non annumeratur *d. l. 49.* Quia nec in præjudicium creditorum liberalitas debitoris vergere debet, cum de suo quemque largiri oporteat *C. J. A. tit. de re jud. th. 36.* Hillig. ad Donell. *d. l. lit. II.*

Thes. XXV.

Debitum autem, quod donator deducit, effectu tale esse debet, unde jure solidum exigi possit; nam si ex eadem donationis causa aliis obstrictus sit, ejus ratio non habebitur, *l. 12. in fin. ff. de donat.* Hinc cum in *l. 19. l. 49. ff. de re jud. l. 54. ff. sol. matr.* dicitur omne æs alienum deducendum esse: id sanè de eo, quod propriè tale est, de quo solidum exigi potest; intelligendum erit. vide Hillig. ad Donell. *d. l. lit. KK.*

Thes. XXVI.

In his ergò quæ hæcenus fusius explicavimus, exceptionis competentiae EFFICACIA ATQUE VIS CONSISTIT, iisque, quæ supra enumeratæ sunt, personis competit; nisi per pactum eidem renunciaverint, ceu

B

possunt

possunt illi, quibus ob aliam causam quam reverentiam debetur. *arg. l. pen. C. de pact.* ubi enim reverentia causam huic exceptioni & privilegio præbuit, ne jurata quidem renunciatio subsistit; cum bonos mores impugnet. *l. 14. §. 1. ff. sol. matr. vide c. 58. de R. I. in 6. & th. nostra disput. 6.* Habet autem hæc Exceptio alias adhuc operationes: Debitores enim qui ista muniti sunt, ut bonis cedere non cogantur, ita nec incarcerari possunt, & sicut per actiones ad extremam inopiam redigi nequeunt, ita multo minus in carcerem detrudi, vide Mantz. *in alleg. tract. de patr. debit. dec. 3. q. 1. n. 109. & seqq.*

Thef. XXVII.

Præterquam tamen renuntiationem qua certas personas uti posse diximus, adhuc alii dantur casus quibus hæc exceptio locum non invenit, scilicet si contra æquæ pauperem quis ea uti velit, cum major tunc ratio sit suum petentis, magisque debitorem, quam creditorem tunc egere conveniat. vide **Reichs Abscheid** de Anno 1654. §. **Soviel** 166. vers. **Wann auch**. Hillig. ad Donell. *d. l. lit. 00.* Filius familias quoque, qui se patrem familias mentitus est, postea emancipatus, vel exheredatus, tali privilegio indignus censetur. *l. 10. ff. de re jud.* idem est in milite titulo tenus tali. *arg. l. 6. ff. d. t.* aut ignominie causa misso, cum hic & cætera privilegia amittat *l. 26. ff. de test. milit.* Nunquam etiam Artificibus & Operariis, qui Labore alimenta consequi valent absq; dedecore, ad beneficium hocce competentie seu deductio- nis confugere licet, ne ex homine laborioso ignavus & mendicus evadat. *arg. l. un. C. de mendic. validis lib. II. tit. 25.* Sed ne disputatio hæc longius excurrat, colophonem nunc imponimus, facilemque errorum, si quos reperiat, in difficili hac materia, condonationem ab æquo lectore speramus.

SOLI DEO GLORIA.

Strassburg, Diss., 1665-66

ULB Halle

3

003 745 031



f

TA → OL

nur 5 Bisher verknüpft

WOM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

J. 36. num. 9. 598.

PRAESIDE
AUGURALEM 1666, 7.

TIONE
ENTIAE

25

THORITATE
BILISSIMI AT-
AM ORDINIS IN IL-
ERRIMA AR-
UM UNI-
E

TIA
Doctorum Honores
ndi, Publicæ & so-
submittit.

argentinenfis.
que. S.

RATI,
ASTORII,
XVI.

